

LIVONLÆ AFFLICLÆ

AD SACRAM


Regiam Maiestatem &

Ordines Regni Poloniae Mag-

niq; Ducatus Lithuaniae

&c.

SUPPLICATIO.



Virgilius lib. 2 Aeneid. de Equo Trojano.

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi:

Aut aliquis latet error: Equo ne credite Teucri.

Rigae Livonum

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

Nicolai Mollini. Anno 1601.

IN AQVILAM ALBAM

REGNI POLONIE.



*In rubeo Scuto, Iouis Ales pingitur alba:
Explicat hac alas parte ab utraq; suas.
Forſan utrumq; latus, Boream nunc monſtrat, & Ortum,
Suspectumq; Ales ſignat utrumq; locum.
Cernere Regnicolas, Belli ſtagrante tumultu,
Idq; quod à tergo eſt, idq; quod ante, decet.
Quid rubor in Scuto? Cruor eſt. Sic ſanguine Reges,
Pro lege, atq; ſuo pro grege bella gerunt.*

Daniel Hermanus, Boruſi.

LIVONIE AFFLICTE

AD SACRAM REGIAM MAIESTA-
tem & Ordines Regni Polonia
Magniq; Ducat9 Lithvania.

SUPPLICATIO.

HAnc afflicta nimis Livonia mitto salutem,
Rex Sigimunde tibi, & vobis Proceresq; Ducesq;
Conſilium magnis Regni de rebus habentes,
Imperio acciti: quos ſive Polonia fortis,
Sive etiam Regno Lithvania juncta Polono
Suſpicit, atq; alto virtutibus æquat Olympo:
Has lachrymas vobis Livonia mitto profuſas,
Vos mihi vos ruruſum ſperatam afferte ſalutem:
Conſulite in medium, & lapſis ſuccurrite rebus,
Ac populum veſtrum juſto defendite Bello.

Cernitis ut ſurgant diverſis partibus hoſtes,
Sarmatiam contra, & ſubjectas huic Regiones?
Solis ab exortu, inſidijs inſtructus & aſtu,
Moldauus hoſtis adeſt, Regnum inſeſtatq; Polonum.
Hunc licet oppoſitis vicit Zamoſcius armis,
Et tota juſſit VValachorum excedere terra:

Tecta tamen superest ceu conspiratio quædam,
Quæ jacet interdum, adjutisq; repullulat ausis,
In commune malum, in Regniq; pericla Poloni.

Alter at à Borea Sueonumq; egressus ab oris,
Vnde salus nobis & Pax speranda fuisset,
Occupat Estones; inhiat Livonibus inde,
Successusq; urgens, arces atq; Oppida Regis,
Marte vel arte capit. Quis enim Bella inter & arma
Legè habet? Et dol9, an Virt9, quis in hoste requirat?
Hunc hostem talem, semperq; in utrumq; paratum
Nos pauci dubia frustra oppugnamus arena.
Non tali auxilio, quale est, non milite parvo,
Tempus eget: summis bellandum est viribus ac vi,
Vi facienda via est procul hinc abigendus & hostis.

Ergo agite ô Regni Proceres, succurrite Regi:
Ferte citi auxilium: date tela, intendite nervos.
Sunt vobis vires, sunt nescia cedere cuiquam
Pectora: sunt animi, & rebus spectata Juventus:
Nec se Sarmatiæ jactabit vulnere quisquam,
Si modò sit, quæ dat magnum, Concordia, robur.
Concordes vos esse decet: Concordia parvas
Auget opes: magnas ut opes Discordia frangit

Inclý.

Inclýte Rex, in te Livonia pono salutem:
Auxilium á vobis Regni Proceresq; Ducesq;
Deserti optamus Livones, omnium egeni.
Ne nostra in vanos abeant vota irrita ventos,
Nosq; animæ viles, deserta afflictatq; turba,
Aut triste exilium fortunis omnibus orbi,
Multaq; diversis patiamur tristitia in oris:
Aut numero exiguo, congressuq; impare, in hoste
Pugnantes, passim campo sternamur aperto,
Effice Rex, vosq; ô Proceres, salvate ruentem
Livonum terram, jamq; antea plurima passam.

Sanguine nobiscum hanc patriam rapuistis ab
Núc quoq; præsentem ereptam servate periclo. (hoste,
Inde bona causa & divino Numine freti,
O animo magno & præstantes Marte Poloni,
Vosq; horum socij Lithvano sanguine creti,
Omnes illustres, clari virtutibus omnes,
Sarmatiæ & Sueonum Regem, quem vivida Virtus
Et pietas decorant, ceu coelo Luna sereno
Cum fulget nitida, & nocturnas discutit umbras:
Hunc veltrum Regem patrio quoq; sistite Regno.
Sic vestra auratis splendet gloria pennis,
Rigaq; dum stabit fossis atq; aggere cincta,

Riga

Riga ornamentum terræ Livonidos unum,
Naviferis dumq; hanc Urbem Duna alluet undis,
Atq; hinc effusus Boreale intrabit in æquor:
Semper honos, veltrumq; decus, laudesq; manebūt

HEDERA LUMINANS

Postquam à tempore recuperata Livonia, tam sub
Divo olim Rege Stephano, quam Serenissimo
Rege Sigismundo III, hæcenus labore & virtute
sua florem acquisivisset, tandem, oborta tempestate,
inter agros, fructus, & diversas arbores suas vasta-
tas doloris sui guttas ex surculis concussis expressas,
in hoc flebile carmen convertit, & ne folijs decussis,
frondibus succisis, & radicibus eversis, omni succo
& nutrimento sibi per hostem detracto, senescens
exarescat, Sereniss. Regi Domino suo clementissimo
humilimè supplicat, Anno afflictæ Livonia
M. DCI. Ætatis anno LX.

DANIEL HERMANVS.



DE LIVONIAE STATV



instabili, ex fundamentis
Philosophicis.

Quod Livonia seculis retrò actis
Multum floruit, ORDO fecit ille,
Vnitus velut unione quadam,
Status duplicis, hunc regentis orbem,
SACRI scilicet, atq; SECVLARIS.

Pro Christo, CRVCIS ORDO, Bella gessit.
Per hunc Nobilitasq; crevit olim,
Amorum intrepido & frequente in usu:
SACER vota precesq; fudit ORDO
Diligentior: ad Deiq; cultum
Gentes transtulit. Ast uterq; ut ORDO
Ille Bella, sed hic preces reliquit
Negligentior: ecce mox ruina
Secuta est, periit Statusq; uterq;.

Excusso ORDINE, sacra sunt profania
Commutata, simulq; priscus ORDO
MARTIS languit. Ac quidem videmus,
Haud quaquam tamen ORDINE M obtinemus
Post rerum Metamorphosin secutam.
Ex causis quibus orta cuncta nam sunt,
Per causas quoq; cuncta stant easdem.

*A causis procul at sumus vetustis,
Ad causas neq; fas redire priscas,
Aut perdifficile est, Statu hoc manente,
Qui confusus ubiq; nunc habetur*

SECVLARIBVS in SACRISQ; REBVS.

*Vide Livo: videte Regna causas,
Propter quas ruitis. Videte num sit
Concors unio Christianitatis,
An Concordia sitq; nationum:
Armorumq; videte num sit usus,
Qui quondam fuit: Et patebit inde
Ortus interitusq; causa rerum.*

*Dum Discordia regnat: estq; pulsa
Terris Iustitia, alma Charitasq;
Scissa Religione dum laborat:
Dumq; ad principia illa non redimus,
Per qua nobilis ORDO militaris
Et Respublica Christiana quondam
Vires sumsit eundo, floruitq;:
Terrarum instabilis status manebit:
Gens gentem premet: inq; Bella surget.*

HEDERA LVMINANS.

